



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Praefatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

## 56 MARINI PAPÆ II. VITA.

quam in monachorum reformatione, & in basilicarum restauratione, & pauperum cura. Literis vero egit, ut inter Christianos principes mutuo decertantes pax componeretur. Unicum monumentum Marini, quo continetur priuilegium concessum sancti Vincentii monasterio super Vulturni fontes, extat apud Baronium anno 944.

Huius temporibus, post Heribertum comitem defunctum, filio eius Hugoni Remensis archiepiscopo Artaldus nouum facessit negotium. Imago Christi Redemptoris miraculo expressa, & ad Abagarum regem transmissa, translata est Constantinopolim, dum Edessa a Romanis obsideretur, anno Redemptoris 946. inquit Flodoardus. Marinus papa decepsit, cum, iuxta Vaticanos indices, annos tres, menses sex, & dies tredecim sedisset.

Imago  
Christi ad  
Abagarum  
missa.

CONSTITUTIONES \* ODONIS <sup>\* alias ODE</sup>

ARCHIEPISCOPI CANTVARIÆ, TEMPORE  
regis Edmundi latæ, hoc est annum circiter Domini  
DCCCCXLIII. in quibus cauetur de officio regis, ma-  
gistratum, & cleri, & de iuribus ecclesiæ rite confe-  
rendis.

## TITVL CAPITVLORVM.

- |                                     |                                     |
|-------------------------------------|-------------------------------------|
| I. De immunitate ecclesiæ.          | VII. De prohibendis illicitis con-  |
| II. De secularium principum officio | nubiis.                             |
| & obedientia episcopis praestanda.  | VIII. De concordia in ecclesia con- |
| III. De officio episcoporum.        | seruanda.                           |
| IV. De officio presbyterorum.       | IX. De ieuniis & eleemosynis fa-    |
| V. De officio clericorum.           | ciendis.                            |
| VI. De officio monachorum.          | X. De decimis reddendis.            |

## P R A E F A T I O.

**I**N nomine sanctæ Trinitatis & vnicæ diuinitatis. Licet, nullis existentibus meritis, monita piæ exhortationis ausu temerario quempiam docere præsumam, tamen quia certantibus, & videlicet laborantibus in stadio huius vitæ, spirituale brauium auctore donorum Spiritu promittitur, & pastorum curæ populus Dei multiplicandus fide & numero caute conceditur; ideo ego Oda humilis & extremus, diuina largiente clementia, almi præfusis & pallii ho-

nore

nore ditatus: quædam documēta, omni Christicola, ni fal-  
lor, non indigna, quæ a præcedentibus illustrium virorum  
præceptis certissima comperi, ad consolationem domini  
mei regis, scilicet Edmundi, omnisque populi excellenti  
imperio eius subiecti, in ista chartula coadunare decreui.  
Vnde deuotissime obsecro, & clementissime hortor au-  
dientium mentes, vt si quando hæc recitanda audiant, in-  
teriorius videlicet in corde frequenti meditatione plantent:  
& multiplici bonæ operationis munere, ex eo fructum pa-  
catissimum in tempore messis sibi colligant.

## C A P V T I.

Primo capitulo præcipimus & mandamus, vt sancta  
Dei ecclesia, quæ sanguine Christi primum fundata est, &  
fidelium multitudine, sponsa dealbata, nullis ingredietur  
malorum interruptionibus. Nec alicui liceat censum po-  
nere super ecclesiam Dei: quia filii ecclesiæ, id est filii Dei,  
ab omni censu terrestri liberi sunt in omni regno. Ambro-  
sius ait: Ecclesia catholica libera est ab omni censu princi-  
pis. In historia ecclesiæ: Si quæ domus agri, vel quælibet  
prædia a Christianis direpta sunt, siue sub fiscum regalem,  
siue in dona collata sunt, hæc omnia in antiquum ius Chri-  
stianis præcipimus reuocari. Gregorius enim ait: Si quis  
ecclesiam Christi denudauerit, anathema sit, si non fa-  
tisfactione emendauerit. Et iterum: Quisquis ecclesiæ  
Dei parochias violare vel usurpare per rapinam tentauer-  
it, ab ecclesiæ ministris excommunicandus est, & omni-  
modo a corpore Christi alienus. Audent enim extra mili-  
tes qui Christum crucifixerunt aliquid, qui ecclesiæ eius  
disciplinæ regulis obedire contemnunt: ecclesia enim  
habet potestatem ligandi atque soluendi.

## II.

Secundo capitulo admonemus regem & principes, &  
omnes qui in potestate sunt, vt cum magna humilitate suis  
archiepiscopis, omnibusque aliis episcopis obedient: quia  
illis claves regni cælorum datae sunt, & habent potesta-  
tem ligandi atque soluendi: nec se magni pendant in sœ-  
culari potentia, quia Deus superbis resistit; humilibus dat  
gratiam: habeatque rex prudentes consiliarios, Deum ti-  
mentes super regni negotia; vt populus bonis exemplis  
regis & principum eruditus proficiat in laudem & glo-

*Concil. Tom. 25.*

H